

Eudes, comte de Blois, de Tours, de Chartres, de Troyes et de Meaux (995 - 1037) et Thibaud, son frère (995-1004). Pièces justificatives., Nr. 29

Quanta et quam benignissima circa humanum genus Dei extitit pietas, nemo mortalium ultor decogitare vel verbis aperire potest; invitat enim nos, ut, post multa perpetrata scelera, ad cum redeamus, pie et misericorditer dicendo: Venite ad me omnes qui laboratis et honerati estis, et ego vos respiciam, et in alio loco euvangelii, hortatur nos ut de terrenis rebus adque caducis adquiramus celestia et in aeternum mansura, taliter inquires: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, reficiant vos in aeterna tabernacula. Igitur, in Dei nomine, ego Gelduinus, vir seculari militiae subditus, et Adenors, uxor mea, Gauffredusque filius noster, nostrorum reminiscentes multitudinem peccatorum et ultimi iudici diem fortiter expavescentes, atque, cum illis fidelibus, quibus Deus in illa die dicturus est: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, aggregari desiderantes, concedimus sanctae Dei genitrici Mariae semperque virgini, de nostris rebus nobis dimissis a nostris progenitoribus; agimus autem hoc in presentia domni Ansberti abbatis monachorumque qui ibi jam congregati vel congregandi sunt, militantes summo regi, secundum regulam sancti Benedicti, piissimi patronis, quatenus de animabus parentum nostrorum et nostris qui abbatiam prout possumus, toto corde construimus, memoriam in suis orationibus habeant, et pro nobis peccatoribus Dei clementiam exorent, ut, cum nobis dies mortis advenerit, non gaudeat de nobis pestifer inimicus, sed per beatae Mariae intercessionem eripiat nos misericordia Christi de manu diaboli et penis inferni, et transferat ad gaudia paradisi. Denique sciant presentes et futuri, quod, huic nostro facto libenter annuit comes Odo et Ermengardis comitissa, filii quoque eorum, Tetbaldus et Stephanus, ex quorum beneficio tenemus que prefate ecclesie tribuimus, et hic nunc nominatim recipaverimus quippe est in hac donatione ecclesia Sancti Petri, que hactenus fuit Pontisleviati, sed amplius erit sub divina Dei genitrici, similiter servi et ancille omnes ad eam pertinentes, hic et ubique degentes, totaque burchi consuetudo, census et vicaria, teloneum quoque et pedagium, insuper omnes consuetudines ab illo exeuntes, beneficium autem IIII aequitum, Hemerici Pirarii, Tetbaldi Regis, Walterii Belsarii, Otelini, filii Ardelelmi de Sivrai; similiter Calmonti dedimus quatuor arpennos vinearum, cum omni consuetudine, et de silva Calmontis tertiam partem pasnatici, et ad dominicos porcos de pastione quantum duraverit, necnon in supradicto castello omnem quae mihi ab aliis persolvitur consuetudinem, sive ex aqua, seu ex aliqua re, quae venundari vel emendi potest; de pratis vero, quatuor arpennos super ripam Siscie; addimus autem huic nostro beneficio, de villa furnum, et censum qui mihi solvebatur de terra Sancti Petri ad praesens in dominium; cetera vero spondemus deliberare, quod si nequiverimus filio nostro id faciendum, dimittimus ceterum casamenta Valterii Inferni, Hervaei Mestiverii, Frederici de Castello Duno, quae ab utrisque ecclesiis nostro dono possident, adhuc invitus retineo quae libere ea huic dono inserere non praevalleo, verum ante vestram presentiam polliceor hoc me facturum quam citius potero; haec itaque et cetera quo, vel nos, vel aliorum fidelium devotio, jam saepe dicto loco concessimus, vel concessuri sumus, ab hodie in antea libere et quiete possideant abbas et monachi Sancte Marie, nemine contradicente. Si quis vero ex fratribus et sororibus, vel nepotibus, seu aliis propinquis nostris, aut ullus umquam homo, vel femina, contra hanc donationem, quam propria voluntate facimus, aliquam calumpniam monachis inferre voluerit, nisi cito humiliatus ad eos proferens venerit, in primis Dei

omnipotentis et perpetuae virginis Mariae, atque omnium electorum Dei, iram incurrat, et cum Juda traditore atque Symone mago vivus in infernum descendens, semper ibi ardeat, ac deinde irritum faciat quod vendicat. Ut igitur haec auctoritas firmior atque stabilior sit, eam manibus nostris signo sanctae crucis firmavimus, et manibus seniorum nostrorum et multorum virorum nobilium firmandam et corroborandam tradidimus.

Signum Odoni comitis. Signum Ermengardis comitissa. Signum Tetbaudi comitis. Signum Stephani comitis. Signum Theodorici episcopi. Signum Gelduini. Signum Adenors, uxori sue. Signum Gosfredi, filii eorum. Signum Gosfredi vicecomitis. Signum Gelduini de Britolio. Signum Harduini, filii ejus. Signum Wanili thesaurarii. Signum Hervei Burgonici. Signum Gauscelini de Brezis. Signum Wicherii infantis. Signum Gaufredi, filio Burchardi. Signum Lurois. S. Campelini. S. Willelmi Drucis. S. Laudranni. S. Gisleberti, filii Udonis. S. Udonis, filii Gisleberto. S. Attonis, filii Hilgodi. S. Vinaldi. S. Mainardi Usarii. S. Willelmi, filii Ernaldi. S. Tesselini clerici. S. T... S. Gelduini, filii Huberti. S. Tetbaldi Regis. S. Rainaldi. S. Walterii, fratris ejus. S. Rainaldi de Rege Morantino. S. Dadonis. S. Bernardi de Sancto Aniano. S. Rainaldi. Signum Rotberti praepositi. S. Hervei vicecomitis. S. Gelduini, filii ejus. S. Rainerii. S. Sigefridi. S. Odonis cubicularii. S. Arnulfi archidiaconi. S. Willelmi praepositi. S. Sigonis. S. Lurois. S. Hildegarii. S. Walterii Rufi. S. Ascelini. S. Aiverdi. S. Hugoni, filii Ocherii.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo XXXV, concurrentes duo, indictione tertia, epacta novem, terminus Paschae VI kalendas aprilis, dies domini Paschae tertio kalendas aprilis, luna ipsius diei septima decima.

Dato in mense julio, anno quarto Henrici regis regni. Sunt praeterea huic testamento multa addita et coram testibus a domno Gaufrido, supradicti Gelduini filio, deliberata atque corroborata, quae ante huic paginae non fuerunt inserta, licet a nobili Gelduino fuerint ut caetera concessa; ipse etiam domnus Gauffredus addidit ecclesia quandam Sancti Gervasii, in prospectu Blesis.

In nomine Domini, Dei gracia, Philipus, Francorum rex hoc scriptum et firmamentum supradicte donacionis concessimus et manu nostra propria signavimus publice Parisius, in palatio nostro, anno regni nostri XVI, et sigillo nostro corroborari precepimus, anno incarnati Verbi millesimo septuagesimo quinto.

Signum Anne, matris Philippi regis. Signum Frederici, regis dapiferi. Signum Henrici, regis constabularii. Signum Hugonis camerarii. S. Hervei, magistri pincernarum. Signum Gausfridi de Calvomonte, cujus petitione, precatu, astipulatio presens facta est.

Guasfridus, Parisiorum episcopus et idem regis cancellarius, relegendo laudavit.